

www.e-rara.ch

Loci communes rerum theologicarum, seu hypotyposes theologicae

Melanchthon, Philipp

Basileae, anno 1521

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117208>

De Caritate Et Spe

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

HYPOTYPOSES THEOLOG.

omnes ex æquo & candidè diligamus. **S**ummam habes uniuersæ uitæ Christianæ, fidem, cum fructibus suis. **N**ec est quod uirtutum genera & formas distinguamus philosophorum & scholasticorū more, in morales theologicas, dona, fructus, quemadmodum **A**quinas ineptijt cum suis. **V**nica fides est, sensus misericordiæ dei, quæ omnium bonorū operum & fons, & uita & rectorix est.

● DE CARITATE ET SPE.

Ex his adparet, quomodo ex fide nascantur **A**mor dei, & amor proximi, quæ caritatem uocāt. **E**fficat enim cognitio misericordiæ diuinæ, ut redametur deus, efficit, ut nos sponte omnibus creaturis subiiciamus, qui proximi amor est.

Porro & spes fidei opus est. **N**am fides est quæ uerbo creditur, spes qua expectatur, quod per uerbum promissum est. **U**t expectemus fides uerbi dei facit, **I**uxta illud psal. ix. **S**peret in te omnes qui noverunt nomen tuum. **N**on est autē cur separet alterum ab altero. **C**erte promiscue usurpat scriptura spei, ac fidei expectandi, sustinēdi uocabula. **U**t sicut fides, est fiducia misericordiæ dei gratuite, nullo operum nostrorum respectu: ita spes est salutis expectatio, nullo nostrorum meritorum respectu: **I**mmò ne spes quidem de deo est, nisi non sit de

PER PHILIP. MELANCH.

meritis. Quomodo enim de misericordia sperat,
qui uelut debitam suis meritis mercedem postulat.
Gaudet adflicta cōsciētia, gaudet **E**uangelicus pec
cator, nullum esse meritorum respectum, **I**ndigna
tur hypocrita, **U**t sit **C**hristus scandalū **I**udæis, **E**t
stultitia gentibus, salus autē **E**t sapiētia credētibus.

Objicitur ijs qui fidei iustitiam uindicant, id qđ
in priore ad **C**orinthios scriptum est, in capit. xij.

Si habeam fidem tantam, qua montem transferam,
caritatem autē non habeam, nihil sum. **Q**uæso autē
uos **S**ophistæ, cur (cum uideretis uniuersam scrip
turam in eo esse, ut doceat misericordiæ opus esse
iustificationem, **E**t **P**aulū toties nihil obscuris uer
bis ingeminare hanc: **I**ustus ex fide uiuit. **I**tem, **C**re
denti in eum qui iustificat impium, reputatur fides
eius ad iustitiam. **I**tem, **C**orde creditur ad iustitiā,
Et huiusmodi multa) hanc unā ex **C**orinthijs sen
tentiam, uniuersæ scripturæ, omnibus ubiq; **E**pisto
lis **P**auli sic opposuistis, ut reliqua omnia glosse
matis excusaretis, hanc temperare interpretatiōe
nolueritis? **N**os nullo glossemate eā simplicissime,
ut est simplicissime dicta, efferemus. **P**rimum satis
constat, **P**aulum eo loco de amore erga proximū
loqui, cui nec scholæ uestræ principium iustificati
onis tribuunt. **N**am cōmentum illud nihil moror,

HYPOTYPOSES THEOLOG.

eundē esse amorem dei & proximi. Deinde negari non potest quin hic fidei uocabulū pro dono, seu facultate designandorū miraculorum usurparit, id quod & caput. xij. testatur, ubi sic legitur. **A**

Mat. vij. **r**i fides in eodem spiritu. Receptum est autē posse

In noīe etiam in impios conferri faciendorum miraculorū tuo uirtu $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\sigma\mu\alpha$, non aliter atq; prophetiam, linguarum tes mul- peritiam, eloquentiam.

tas fecim? **M**ea est sententia, ut maxime non separe fidē iustificantem à dono miraculorum, **P**aulum hic, sicut & penē in tota illa **E**pistola, præter fidem, exigere caritatem: **N**on aliter atq; à credētibus, à iustificatis, aliās exigit bona opera in omnibus **E**pistolis. **T**ametsi illis fructibus per sese non uacet fides, tamen exigit, propter fidei nostræ imbecillitatem. **E**t q; ait, nihil esse eum, cui sit omnis omnino fides citra caritatē, recte sentit. **Q**uanq̄ enim sola fides iustificet, tamē & caritas exigitur, nēpe legis altera pars, ad Ro. xij. **T**ota lex repetitur in hoc, **D**ilige proximū sicut teipsum. **N**on iustificat autē caritas, eo q; nemo diligat, quantum debet. **F**ides iustificat, quæ misericordia dei, nō suo merito fidit.

Superest Iacobi sententia, **F**ides sine operibus mortua est. **B**ene quidem ille, **N**ā eos reprehendit, qui iudicabant historicam opinionē de **C**hristo fidē

IN **TER** **PHILIPP.** **MELANCH.**

esse. Propterea sicut Paulus aliã fictam fidem adpellat, aliam ueram: Ita Iacobus aliam uocat fidem uiuam, aliam mortuam. Viuam fidem, efficacem illam & ardentẽ fiduciam misericordie dei, nunq̃ non parturientem bonos foetus. Hoc est, quod ait, Operibus fides consummata est. Item, quia uiuacẽ in Abrahamo fidem fuisse, opera declarant, ideo scriptura impleta est, dicens: Credidit Abraham deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Itaq; in summa hoc agit Iacobus, mortuam fidem, hoc est, frigidam Parisiensem opinionem non iustificare: Fidẽ uiuam iustificare. Viuam uero esse quæ se in opera effundit. Sic enim inquit: Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Non autem ait, ego ostendam tibi opera sine fide. Quadrat autem ad hanc meam expositionem aptissime, id quod dictum est, Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa, ut satis adpareat eũ hoc tantum docere, q̃ in ijs inter mortua sit fides, qui fructum fidei nõ faciunt, quãquã in speciem credere uideantur.

Non **crit** **inutile** & hoc monere, de quo ambigi passim uideo, qui sciat homo, num in gratia dei sit, cognosci ne possit in nostro corde fidem esse? Duplex quæstio est, nam priore, de uoluntate

HYPOTYPOSES THEOLOG.

dei erga nos, non de nostris adfectibus. **P**osteriore de nostris tantū adfectibus, quæritur. **E**t scholastici quidem fœdissimo errore, neutrū sciri posse tradiderunt, ut uel hoc solo loco satis adpareat, nihil fuisse spiritus, in toto isto genere. **N**am quod ad carnem attinet, cum illa in uniuersum sit ignorās dei, uoluntatē erga se diuinam, qui cognoscat? **E**t quomodo de spiritualibus adfectibus caro iudicabit, quæ ne suos quidem adfectus bene compertos habet? **P**rauū enim cor hominis, & inscrutabile est. **S**ic ergo scholastici, fingebāt in hominis anima, stertere aliquot qualitates, quas ipsi nos ignoraremus, **P**ræter ea, ut nobis uelit deus, ne quærendū quidē esse, ita ut apud sese conscientia perpetuo in incerto fluctuet. **Q**uod quid aliud est, quàm desperationem docere? **E**quidem sic sentio, **P**rimū, quod ad diuinam uoluntatem attinet, fidem non aliud esse nisi certam, & constantem fiduciam beneuolentiæ diuinæ, erga nos. **V**oluntas dei cognoscitur, sed fide, ex promissione seu **E**uāgelio. **N**on enim tribuis gloriam ueritatis deo, si ita uelle deum, ut **E**uangelio testatus est, non credis. **S**ciunt se esse in gratia dei, hoc est, habere beneuolentem deum, qui uerbo dei credunt, qui uoluntatē dei æstimant ex uerbo suo, non ex nostris meritis. **S**ic **P**aulus ad **R**om.

PER PHILIP. MELANCH.

iii. cum multis argumentis docet, ex fide iustitiam esse, tandem uelut efficacissimam rationem hanc subiicit: Quod si ex operibus nostris potius esset iustificatio, quam ex fide, nunquam conscientia con- quiesceret, iam hoc, iam illud in uita, in opere nostro desiderans, ut fieri non posset, quin despera- ret. Sic enim inquit, Ideo non ex operibus, ut secun- dum gratiam firma sit promissio. Et propheta quod- ties de securitate gloriantur. Osee. ij. Dormire fa- ciam eos fiducialiter. Et Hiere. xxij. In diebus illis saluabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter. Quid autem aliud significant uoces, fiducialiter, confidenter, et similes, nisi securitatem. Atque eam quidem securitatem pulcherrime expressit Miche- as: Sedebit uir sub uite sua, et sub ficu sua. Et nihil obscure Esaias. xxxij. Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum, Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiducia, et in requie opu- lenta. Ad hunc modum propheta describunt regnum Christi, fore regnum securitatis. Quae autem securitas erit, si de uoluntate dei perpetuo ambi- gunt conscientiae? Necessesse est igitur certos nos esse de gratia, de beneuolentia dei erga nos. Hoc est, quod apud Hiere. ix. dominus inquit, In hoc glo-

HYPOTYPOSES THEOLOG.

rietur, qui gloriatur, scire & nosse me. Vult cognosci uoluntatē suam deus, uult gloriari nos de uoluntate sua. Quid est igitur magis impium, quā negare, uel non debere, uel non posse cognosci uoluntatē diuinā? Nempe cum eam expresserit uerbo suo. Et interrogemus Sophistas, credant ne id quod in symbolo apostolico est, Remissionem peccatorū. Item, credant ne sententiæ sacerdotis, cū absoluuntur. Quod si credunt, necesse est ut agnoscant se esse in gratia dei: Quod si nō credunt, cur confitentur? Scelesta Roma, & auctor Bullæ Romanæ Eccius damnarunt articulum quendam Lutheri de fide, qui docet, Absolutioni credendum esse. Respondeant igitur, cur audiant absolutionem, nisi credant. Obscura est impietas hæc, & perniciosior quā quisquā putet. Nec dubito quin multas animas necarit, quæ ad desperationem isto carnali, Sophistico, Parisiensi dogmate adactæ sunt. Disperdat dominus omnia labia loquentia mendacium. Christiana mens facile experientia magistra discet, nihil esse Christianismum, nisi eiusmodi uitam, quæ de misericordia dei certa sit. Ad Romanos. xij. Vt discatis quæ sit uoluntas dei bona, perfecta, bene placens &c. Ergo inquit Sophistæ, nihil est quod timeamus? Recte, si uacet fide timor,

PER PHILIP. MELANCH.

Impius fuerit. Porro, qui cum fide coniunctus est, is non est misericordiae ignorantia, sed cum Iob inquit, Verebar omnia opera mea. Sancti timent propter opera sua, Fidunt autem misericordia dei: hypocritae fidunt operibus, Misericordiam dei ignorant, Immo et timorem dei ignorant. Sicut dixit propheta: Timor dei non est coram oculis eorum. Id quod adparet in hypocrita apud Lucam xvij. Docebit autem scripturae usus collationem timoris et fidei. Nunc hoc monuisse satis sit, Timorem ad opera nostra, fidem ad misericordiam dei referri debere. Sancti timoris fides auctor est. Qui metus fiducia bonitatis dei uacat, is impius sit, necesse est.

Quod ex Ecclesiaste citatur. vij. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur, non efficit ignorare hominem, condonarit ne noxam deus, an contra. Alioqui hoc etiam inde effecero ignorari, irascatur ne peccato deus, an contra. Neque satis demirari possum hoc loco uersutiam Satanae, quom hac sententia scripturae abusum, uideo mirifice, non fidem modo, sed et timorem ex hominum pectoribus excussisse. Quid alid' κυβείαν et παρουσγίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάτης uocat Paulus, si non Parisiensem Theologiam?

HYPOTYPOSES. THEOLOG.

quæ tam callide scripturam, euertit. Hoc in uniuersum agit eo libro Solomon: non esse humanis argumentis iudicandum de iudicijs dei, adeoq; impiæ philosophiæ calumnias aduersus iudicia dei refutat. Atq; utinam pro pestilente philosophia hic liber iuuentuti exhiberetur discendus, quo corda infirma, fide ac timore dei stabilirentur. Nunc philosophica impietate, impijs poëtarum ac oratorũ sententijs, naturæ impietas excitatur, quæ modis omnibus uerbo dei premenda & reuellenda erat. Sic ergo Solomon: Sunt iusti, sunt sapientes, sed nihil est, quod uel iustitia, uel sapiëntia fidere possint, Nam eorũ opera sunt in manu dei. Ecce q̄ magnifice uno uersu, & timorem & fidem docuerit Solomon, cum uetat fidere iustitia, aut sapientia nostra. Rursum, cum in manu dei sint opera iustorum & sapientum, præcipit illo fidere qui in potestate sua habet spiritum sapiëntum ac iustorũ. Post sequitur: Sunt qui diliguntur à deo, sunt quos auersatur deus, sed ex facie ab homine cognosci nõ possunt, sed omnia seruantur in futurum: id est, ratio humana iudicat deo acceptos esse, quos donis suis, opulentia, sapientia, iustitia, gloria cumulat: Rursum inuisos esse deo, quibus illa desunt. Atqui falso iudicat ad eum modũ ratio. Diligit enim uel maxime ino

OPER PHILIP. MELANCH.

pes illos, calamitosos, uiles, abiectos. **O**dit uel maxime quos immodice cumulare solet. **V**triusq; exemplum in filijs **I**sraël & pharaone habes. **H**oc igitur agit, nō posse discerni inter pios & impios ab externis euentibus, quemadmodum humana ratio iudicat. **N**am si de suæ cuiusq; conscientie iudicio **S**olomonem interpreteris, non uideo qui ignoret peccator odium dei, cum nihil sit certius, quā offendi deum peccato. **D**einde ut maxime donemus **S**olomonem de iudicio conscientie sanctorum accipi debere, hoc tantum effeceris, sanctos nondum esse securos, nisi quatenus credunt, **Iuxta illud Ro. viij.** Spe salui facti sumus. **I**mmò fides planè sola, sanctorum securitas est. **S**ed ut fide misericordiam norunt, ita fidei timore se diuinæ uoluntati iudicandos ac damnandos permittunt, ut dent gloriā deo, **S**ic enim precamur, **F**iat uoluntas tua. **E**xemplum **D**avidis habes. **ij. Reg. xv.** **S**i inuenero gratiam in oculis domini, reducet me & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum: **S**i autem dixerit mihi, **N**ō places, **P**resto sum, faciat quod bonum est in oculis suis. **N**on potest enim à fide timor separari. **F**ides misericordiam dei solam intuetur, **T**imor, iudicium dei, & opera nostra, **Sic Paulus ad Ro. xij.** **T**u fide stas, ne efferraris animo, **S**ed timeas. **Item, cum**

HYPOTYPOSES THEOLOG.

in eo sit totus ille **S**olomōis liber, ut doceat, **C**arni
non esse iudicandū de diuinis consilijs, ut abdicati
à nobis **et** timeamus deū, **et** credamus ei, nō inep
te opinor uideri potest hoc monere, ignorari quos
elegerit, quos reiecerit deus, **et** ne superbiant san
cti, **et** ne desperent pētōres. **C**eterum uerba **S**olo
monis hęc sunt, quantū intellego, **E**t dilectionem,
et odium ignorat omnis homo in facie eorū, eo q̄
iuxta eueniant oīa iusto ac impio. **V**nde satis adpa
ret **S**olomonem, non de suæ cuiusq; cōscientiæ iu
dicio, sed de ratione discernendi pios ab impijs, ex
trinsecus, **et** ab alijs, loqui. **Q**uod ī latinis legitur,
omnia in futurum seruantur, additum uidetur ab
interprete declarādi gratia. **N**ec in **H**ebræis, quod
sciam, nec in græcis codicibus extat. **S**ed hęc longi
orem alicubi disputationē desiderant. **C**ertissima
sententia esto, oportere nos certissimos semp̄ esse,
de remissione peccati, de beneuolētia dei erga nos
qui iustificati sumus. **I**deoq; sacramenta seu signa
misericordiæ dei, promissionibus sunt addita, ut
postea dicam, quæ certissime testarentur nobis con
tigisse beneuolentia dei: ut, certus est foenerator, se
ab eo pecuniā adcepturū, cuius consignatū αὐτο
υγραφοῦ ea de re habet, **I**ta ut certi sint **C**hristiani
cōdonari sibi pētā, signa, baptismus, **et** participas

PER PHILIP. MELANCH.

tio mensae domini, promissionibus αὐτογράφους
Christi sunt addita. Et norūt quidē fide sancti cer-
tissime, se esse in gratia, sibi cōdonata esse peccata:
Non enim fallit deus, qui pollicitus est se condona-
turum peccata credentibus, tametsi incerti sint, an
perseueraturi sint.

Hactenus dixi, oportere certos esse nos de be-
neuolentia dei erga nos. Quid autem de operibus
dei in nobis ipsis, scire ne possumus, an spiritū dei
conceperimus in pectore nostro? Respondeo, fru-
ctus spiritus sancti testantur nobis, q̄ in pectore no-
stro uersetur. **Ad Gal. V. Qui Christi sunt, carnem
crucifixerunt &c.** Sentit autem quisq; uere ne &
ab animo oderit & abominetur peccatum. Nam id
est crucifigere carnē. Sentit quisq; num timeat de-
um, num credat deo. **A**emula quidē hypocrisis est
spiritus dei, sed tentatio discernit, ubi soli fideles
perdurant. **I**am & ne potest quidē odisse uitia hy-
pocrisis. **Q**ualis qualis aut uidere tibi, uide omnium
primū, ut credas. **V**ult enim gloriam ueritatis sibi
deus tribui. **C**onferamus aut totam hanc disputa-
tionē de lege, **E**uangelio, ac fide, in aliquot capita.

Lex doctrina est, quæ facienda, & omittenda
prescribit.

Euangelium est promissio gratiæ dei.

I.

II.

HYPOTYPOSES THEOLOG.

- III. Lex impossibilia exigit, Amorem dei, ac proximi, ad Roma. viij.
- IIII. Qui legem, per vires naturæ seu liberi arbitrii exprimere conatur, externa tantum opera simulat, adfectus quos exigit lex non exprimunt.
- V. Legi igitur non satisfaciunt, sed sunt hypocritæ, sepulchra extrinsecus dealbata, ut Christus uocat. Et ad Gal. iij. Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.
- VI. Ergo non est legis opus, iustificare.
- VII. Sed legis proprium opus est, ostendere peccatum, adeoque confundere conscientiam. Ad Rom. iij. Per legem cognitio peccati.
- VIII. Conscientiæ agnoscenti peccatum, et confuse per legem, Euangelium ostendit Christum.
- IX. Sic Iohannes cum pœnitentiam prædicat, simul ostendit Christum: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi, Iohan. I.
- X. Fides, qua creditur Euangelio ostendenti Christum, qua Christus accipitur pro eo qui placarit patrem, per quem gratia donetur, est iustitia nostra. Iohan. I. Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri.
- XI. Siquidem ea sola fides iustificat, meritorum nostrorum, operum nostrorum, nullus plane respectus est, sed

PER PHILIP. MELANCH.

est, sed solorum meritorum Christi.

Et fides pacificat cor, & exhilarat. Ad Ro. V. XII.

Justificati per fidem pacem habemus.

Facitq; ut pro tanto beneficio, pro condonato peccato propter Christum, redametur deus, Adeo q; amor dei fructus fidei est. XIII.

Eadem fides facit, ut pudeat offendisse tam benignum, tam liberalem patrem. XIII.

Adeoq; facit, ut abominemur carnem nostram cum concupiscentijs suis. XV.

Humana ratio, nec timet deũ, nec credit ei, sed est prorsus ignorans dei, & contemptrix. Iuxta psal. XVI. Si Mosen & pphetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Vbi significat Christus cor humanũ non credere uerbo dei. XVI.

Hanc humani cordis amentiam Solomon in toto Ecclesiaste insecutus est, ut ca. Viiij. Quia non profertur cito cõtra malos sententia, absq; timore ullo filij hominum perpetrant mala.

Quia cor humanum prorsus est ignorans dei, ideo ad sua consilia, & ad suas cupiditates defleat, & sese sibi pro deo erigit. XVII.

Quom cor humanũ deus per legem sensu peccati cõfundit, non lũ nouit deum, nempe bonitatẽ XVIII.

HYPOTYPOSES THEOLOG.

eius non cognoscit, ideo odit, uelut carnificem.

XIX.

Quom cor humanum deus per **E**uangelium ostenso **C**hristo erigit & cōsolatur, tum demum id cognoscit deum, nam & potentiam, & bonitatem eius cognoscit. **Hoc est qd' Hieremias dixit, In hoc gloriatur, q' nouit me.**

XX.

Qui **E**uangelio crediderit, adeoq; bonitatem dei cognorit, eius cor iam erigitur, ut & fidat deo, & timeat deum, adeoq; ut humani cordis consilia abominetur.

XXI.

Aptissime ergo dixit in **A**ctis **P**etrus, **I**de purificari corda.

XXII.

Misericordia ostenditur promissionibus.

XXIII.

Aliās corporalia, aliās spūalia promittuntur.

XXIII.

In lege res corporales, ut terra **C**anaanæ, regnum &c. promissæ sunt.

XXV.

Euangelium est promissio gratiæ, seu condonatio peccatorum per **C**hristum.

XXVI.

Promissiones corporales omnes pendent ex promissione **C**hristi.

XXVII.

Nam prima promissio, fuit gratiæ seu **C**hristi promissio, **Gene. iij. Semen eius conteret caput tuum, id est, semen Heuæ conteret regnum serpentis insidiantis calcaneo nostro, id est, peccatum & mortem.**

PER PHILIP. MELANCH.

¶ Ea in promissione **A**brahæ facta innouata est: **XXVIII**

In semine tuo benedicentur omnes gentes.

¶ Proinde cum nasci ex **A**brahami posteritate **XXIX,**

Christum oportuerit, promissiones quæ legi additæ sunt, de possessione terræ &c. promissiones obscure uenturi **C**hristi sunt. **N**ā corporalia illa ideo populo promissa sunt, ne interiret, dum promissum semen nasceretur, & ut interim corporalibus rebus indicaret deus misericordiam suam, & populi fidem exercent.

¶ **C**hristo nato, promissiones unā cum populo cōsummatae sunt, & remissio peccati palam facta est, propter quam oportuit **C**hristum nasci. **XXX.**

¶ Promissiones ueteris testamēti indicia sunt uenturi **C**hristi, adeoq; promissionis gratiæ olim uulgandæ. **E**uangelium ipsa gratiæ promissio est iam palam facta. **XXXI.**

¶ Sicut non nouit deum, qui esse tantū nouit, nisi & potentiam eius norit & misericordiam: Ita nec credit, qui esse deum tantū credit, nisi & potentiæ credat & misericordiæ. **XXXII**

¶ Credit igitur uere, qui præter minas, etiā **E**uangelio credit, qui uultum in misericordiam dei seu **C**hristum pignus misericordiæ diuinæ defigit. **XXXIII.**

¶ Hactenus de fide: de caritate paulo post quedā

HYPOTYPOSES THEOLOG.

adiciemus, ubi absoluerimus hanc de discrimine legis & Euangelij partem.

DE DISCRIMINE VETERIS ac noui testamenti. Item de abro= gatione legis.

Q Ex ijs quæ de lege ac Euangelio, deq; legis & Euangelij officio diximus, colligi facile potest, quid intersit inter uetus testamētum ac nouum. Quare non aliter, atq; in discrimine legis ac Euangelij misere laborant scholæ, cū uetus testamētum uocant, legem quandam, quæ externa tantum opera exigat. Nouum, legem, quæ præter externa opera etiam adfectus exigat. Quo fit ut obscuretur gratiæ maiestas & amplitudo, quam oportuit, uelut in illustri positam loco undiq; omnibus conspicuam ostendi, & uel solam prædicari. Nos rem paucis absoluemus. Quid lex sit, quid Euangelium ex superioribus pete. In usu uocum hic laboratur.

Qui uetus testamētum simpliciter id quod legem uocant, consuetudinem loquendi, ut mihi uideatur, magis quàm rationem sequuntur, & nomine testamenti cōmuniter pro constitutione seu instituto utuntur. Ego uetus testamētum uoco promissionem rerum corporalium, coniunctam cum executione legis. Nā & per legem exigit iustitiam deus,